

TRACTATUS XVII.

DE ORDINE.

425. Ordo, in praesenti arguento, definiri potest cum S. Th. (Suppl. q. 32. a. 4) : "Signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas ordinato tribuitur." Quamvis enim inter sacramenta hic recentratur, solet tamen, usu ab omnibus recepto, complecti etiam illos sacros ritus qui, saltem juxta sententiam hodie communem multoque probabiliorem, non sunt sacramenta a Christo instituta, eos videlicet ritus quibus conferuntur ordines minores vel subdiaconatus. Jamvero data definitio tum istis ritibus, tum ordinationibus vere sacramentalibus competit : siquidem *signaculum Ecclesiae* nihil aliud designat nisi ritum exteriorem, quo quis ad certum munus deputatur, in Ecclesia usurpari solitum, sive divinae, sive ecclesiasticae tantum institutionis fuerit. (Ball. P. n. 2)

Multa quae de ordine controvertuntur omittemus, quia a Dogmaticis exponi solent. Saepe etiam ad conclusiones morales parum refert utram ex oppositis sententiis sequaret : etenim, cum praesertim in hoc arguento securiora sectanda sint, semper ratio habenda est probabilitatis sententiae oppositae. Sufficiet ergo breviter quaedam de natura sacrae ordinationis et de praecipuis controversiis praestituisse. Vide-licet :

1º In Ecclesia latina septem recensentur ordines : quattuor minores, videlicet ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus ; tres majores seu sacri, i. e. habentes aliquem actum circa rem aliquam consecratam (S. Th. 4. dist. 24. q. 2. a. 1. ql. 1), videlicet subdiaconatus, diaconatus, sacerdotium, quod sub se complectitur presbyteratum et episcopatum. His omnibus praemittenda est collatio tonsurae ; quae inter ordines non recensetur, cum nullam spiritualem potestatem conferat, sed est tantum quaedam praeparatio et via ad ordines.

2º De fide est (Trid. Sess. 23. can. 3) ordinem sive sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum. Insuper inter catholicos plane constat veri sacramenti rationem habere

tum presbyteratum, tum diaconatum : utrum reliqui gradus veri sacramenti rationem habeant, non ita convenit. Episcopatum esse ordinem a presbyteratu distinctum, negant plerique Scholastici cum S. Th. (l. c. ql. 2) ; affirmant probabilius plerique recentiores, cum ex traditione ecclesiastica pateat per ordinationem episcopalem conferri potestatem, quae numquam amitti aut tolli possit, ad quacdam sacramenta administranda : quod proprium est characteris vere sacramentalis. Ordines vero minores et subdiaconatum veris sacramentis adnumerabant plerique Scholastici (S. Thom. l. c. q. 1. a. 2. ql. 2) ; sed communior et probabilior recentiorum sententia iisdem characterem sacramentalem denegat, eo quod, primis Ecclesiae saeculis, inferiores isti gradus in Ecclesia non videntur exstissemus, neque hodierna Ecclesia Orientalis acolythatum, exorcistatum et ostiariatum inter suos ordines computat. (Gasp. de Sacr. Ord. n. 39)

3º Quaenam potestas per collationem ordinum minorum tribuatur, videsis in Pontificali Romano. Argumentum istud vix non mere speculativum est, cum functiones horum ordinum quae non fuerint, mutata disciplina, abolitae, jam licite a quibuslibet, etiam laicis, exerceantur, excepta potestate exorcismos instituendi, quae ad presbyteros devoluta est, cum iis restrictionibus de quibus dictum est Vol. I. n. 309.

Per subdiaconatum confertur potestas tum ministrandi diacono ad altare atque abluendi pallas altaris et corporalia, tum legendi in ecclesia ad Missam librum epistolarum.

Per diaconatum confertur potestas ministrandi immediate sacerdoti ad altare, legendi evangelium atque ex legitima commissione sollemniter baptizandi (n. 139), administrandi Eucharistiam (n. 181) et praedicandi.

Per presbyteratum confertur potestas conficiendi corpus et sanguinem D. N. J. C., remittendi peccata, ungendi infirmos, etc.

Per episcopatum confertur potestas confirmandi, ordinandi et, accepta a. R. P. jurisdictione, Ecclesiam regendi.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA ORDINIS.

426. I. Materia ordinum minorum consistit in traditione instrumentorum quae singulorum sunt propria, videlicet clavum ecclesiae pro ostiariatu, libri lectionum pro lectoratu, libri exorcismorum pro exorcistatu, ceroferarii cum cereo et urceoli vacui pro acolythatu. Forma vero eorumdem sita est in verbis quae episcopus prouniciat dum instrumenta tradit. Videsis Pontif. Rom.

De his ordinationibus juvat advertere sequentia corollaria sententiae hodie communis, quae iis dignitatem veri sacramenti denegat, ideoque eas plene arbitrio R. P. subjicit :

1º Ordinatio, quae secundum probabilem interpretationem praescriptionum ecclesiasticarum facta sit, tamquam certo valida habenda est : consuevit enim Ecclesia hujusmodi defectus supplere. Cfr. dicta in causa simili n. 331. Attamen ubi dubium vertitur circa factum, nempe num adfuerint in quadam ordinatione ea quae certo in eadem requiruntur, puta intentio in ministro, Ecclesia jubet etiam minores ordines iterum conferri sub condicione. Constat e decisionibus S. C. C. ex. gr. 3 Aug. 1794.

2º Potest R. P. sanare quoslibet defectus qui in hujusmodi ordinationes irrepserint : non repugnat enim quod sola sua voluntate aliquem vere ostiarium, lectorem, etc. efficiat, cum modus assumendi ad tale ministerium penitus a supremi legislatoris arbitrio pendeat. (Lehmk. II. n. 586; Ball. P. n. 10)

II. Materia **subdiaconatus** est duplex traditio, vid. calicis vacui cum patena superposita, et libri epistolarum vel missalis; forma, pariter duplex, sita est in verbis quae ex. Pontif. Rom. utramque traditionem comitantur. De valore hujus ordinationis eadem notari possunt, quae supra de ordinum minorum collatione dicta sunt.

427. III. Materia **diaconatus**, juxta sententiam probabilem (S. Alph. n. 748), est sola impositio manus episcopi ordinantis : forma vero sunt verba ab episcopo eodem tempore proferenda : *Accipe Spiritum Sanctum*, etc. Nullus enim alias ritus per decem prima saecula ab Ecclesia latina adhibitus est, neque **hodie** ab Ecclesia graeca adhibetur. Quare communiter jam deseruntur opinio S. Th. (Suppl. q. 37. a. 5), materiam et formam reponentis in traditione libri Evangeliorum cum verbis eam comitantibus, et opinio Bellarmini (de Ordine, c. 9), utrumque ritum tamquam essentialem habentis. Practice tamen haec tertia opinio omnino sequenda est, cum certe hic Ecclesia supplere nequeat.

IV. Materia **presbyteratus**, juxta probabilem sententiam, est sola impositio manus quae fit ab episcopo super ordinandos, circa initium sacrae ordinationis; forma sunt oratio : *Exaudi nos*, etc., et Praefatio quae immediate post recitantur.

Nam traditionem instrumentorum **ad** essentialiam non spectare satis videtur demonstrari ex antiqua consuetudine Ecclesiae latinae, quam hodie quoque servat Ecclesia graeca, presbyteratum per solam manum impositionem conferendi. Impositionem vero manum, quae fit ab

episcopo circa finem Missae sub his verbis : *Accipe Spiritum Sanctum : quorum remiseris peccata*, etc., non spectare ad essentialiam, deducitur e momento quo fit, vid. postquam jam neo-sacerdotes Eucharistiam cum episcopo consecrarunt : insuper in antiquis documentis, Romanum ritum ordinandi presbyteros referentibus, ut in Sacramentario Leoniano (1), nonnisi oratio *Exaudi nos* et Praefatio referuntur, ac proinde reliqua videntur tantum posteriore aeo addita ad majorem collatae potestatis demonstrationem. Non distinguimus autem, quod multi faciunt, inter impositionem manum quae fit ab episcopo nihil dicente, et eam quae statim postea peragitur ab episcopo, manum dexteram super ordinandos extendente una cum adstantibus presbyteris : ambae enim videntur moraliter unam manum impositionem constituere, ita ut omissio alterutrius extensionis non impediret quominus sacramentum, accidente forma, subsisteret. Sententiam substancialiter eamdem S. Alph. (n. 749) tamquam probabilem tradit.

In praxi, cum multa hic incerta sint et dissensus inter gravissimos DD. vigeat, agendum est quasi ad ritus essentialiam pertineant tum duplex seu, ut alii loquuntur, triplex manum impositio, tum traditio instrumentorum, i. e. calicis cum vino et aqua et patenae cum hostia sub verbis adnexis.

428. V. Materia **episcopalis consecrationis** probabilius est sola manus impositio ab episcopo consecratore facta; forma vero sita videtur in oratione quae eamdem impositionem comitatur. Quae enim adduntur in Pontif. Romano, ut impositio libri evangeliorum super cervicem et scapulas consecrandi, et prolatio verborum : *Accipe Spiritum Sanctum*, etc. ad ritus antiquos accessisse videntur, quin umquam Ecclesia manifestaverit voluntatem ritum essentialiem immutandi, etiamsi (de quo valde dubitamus) hanc potestatem habeat. Sed iterum practice agendum quasi haec omnia essentialia forent.

VI. Dubia de valore collatae ordinationis, et consequenter de necessitate illam iterandi, praesertim vertuntur circa ordinationem presbyteratus, tum ob plures controversias de illius essentiali materia et forma, tum ob periculum invalide administrandi sacramenta Eucharistiae, poenitentiae et extremae unctionis. Insuper, si quis invalide inferiores ordines suscepisset, nullatenus impediretur quominus valide superiorem acciperet; immo eminenter inferiores, puta subdiaconatum et

(1) Hoc Sacramentarium multi viro saeculo antiquius reputant; D. Duchesne (*Origines du culte chrétien*, p. 128 seqq.) illud paulo recentius esse opinatur. Cfr. Gasparri, de Ordin. II. Allegato V, ubi plura alia documenta citantur.

diaconatum, in collatione **superioris**, puta presbyteratus, reciperet. (1) Attamen, secreto repetendam esse ordinationem diaconatus super sacerdotem ejus caput **physice** non tetigerat episcopus diaconatum conferens, jussit S. Inqu. 20 Jan. 1875 (Act. S. S. t. 30. p. 158): quod practice, saltem ad cautelam, servandum est.

Has autem generales regulas de iteranda ordinatione vel supplendo defectu admissa, statuendas ducimus:

1º Tota ordinatio **absolute iteranda** est in omni et solo casu quo plane constat omissum esse ritum **certo essentiali**m. Id contingit in ordinatione presbyterali vel episcopali quae ritu anglicano confertur. Etenim manuum impositio, quae in hoc ritu adhiberi solet, "nihil definitum per se significat et aequa ad quosdam ordines, aequa ad Confirmationem usurpatur." (Leonis XIII, Const. Apostolicae curae, 13 Sept. 1896) Verba autem quae juxta Ordinale Eduardi VI in iis ordinationibus adhibentur, et quae ad proximam usque aetatem passim ab Anglicanis tamquam forma propria **ordinationis** utriusque habebantur, minime significant **definite ordinem** sacerdotii inferioris vel summi vel ejus gratiam et potestatem. Verum quidem est anno 1662 huic formae addita esse verba: "ad officium et opus presbyteri (episcopi)." Eadem vero adjectio, si forte quidem legitimam significationem apponere formae posset, serius est **adjecta**, elapso jam saeculo post receptum Ordinale Eduardianum; cum propterea, Hierarchia extincta, potestas ordinandi jam nulla esset. (Const. cit.) Frustra etiam quidam recentes hujus ritus defensores **confugerunt** ad alias preces, quasi in iis satis distincte ordo conferendus: contra quam interpretationem "unum hoc argumentum sit instar omnium, de ipsis consulto detractum esse quid- quid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdotii perspicue designat. Non ea igitur forma esse **apta** et sufficiens sacramento potest, quae id nempe retinet quod **deberet** proprium significare." (Const. cit.) Vid. cum Ordinale praecise in **hunc finem Pontificali substitutus fuerit** ub ab ecclesia Anglicana **quaelibet** notio veri sacerdotii seu potestatis sacrificii Eucharistici offerendi excluderetur, nomina ipsa presbyteri et episcopi, prout in **Ordinali** jacent, manent voces inanes, quibus aliud designatur quam **significandum** foret. (2)

2º Si omissus vel male **administratus** est ritus **probabiliter tantum essentialis**, puta in **ordinatione presbyterali** vel manus impositio vel instrumentorum traditio, **regulariter** tota ordinatio sub condicione repe-

(1) Antiquioribus documentis constare videtur in ordinatione quoque episcopali eminenter conferri **presbyteratum** ei qui sacrum hunc ordinem nondum suscepisset. (Gasp. n. 24) Contradicunt tamen plerique Theologi et Canonistae.

(2) Cfr. P. Brandi S. J., *Rome et Cantorbéry*, p. 123.

tenda est. Excipe tamen si ritus omissus vel male administratus supponit jam potestatem per alium ritum collatam, ex. gr. **tertia impositionis manuum** in ordinatione presbyteri. Haec enim tamquam **essentialis propugnatur** tantum quasi conferat potestatem remittendi peccata, ut sonant verba concomitantia: nam nullum dubium est, quin ordinatus jam potestate consecrandae Eucharistae instructus sit. In hunc sensum communiter interpretantur Canonistae responsa Innocentii III et Gregorii IX in cc. 1 et 3. t. 16 l. 1 Deer. Consonat responsum S. Inqu. 19 Aug. 1851. (Coll. P. F. n. 1199) In easu sufficiet supplere omissum vel male administratum.

3º Si ritus omissus **certo accidentalis** est, regulariter non est supplendus. Excipe si ex natura sua et catholica traditione esset maximus momenti. Id censem communiter AA. de manuum unctione in ordinatione presbyteri. Nihil tamen repetendum censuit S. Inqu. 22 Jul. 1874 (Act. S. S. t. 30. p. 157) si loco olei catechumenorum oleum sancti chrismatis erronee adhibitum fuerit. De reliquis ritibus supplendis nulla certa obligatio exstat. Sic vestium impositionem gravibus ritibus accenset Lehmk. (II. n. 591), levibus Ball. P. (n. 34); recitationem canonis cum episcopo pauci, neque solida ratione freti, supplendam ducunt. Neque supplenda est impositio manus presbyterorum, si forte solus episcopus manus imposuerit. (S. C. de P. F. 6 Aug. 1840; Coll. P. F. n. 1195)

429. VII. Dubiis circa impositionem manuum solvendis haec proderunt:

1º Requiritur tactus corporalis. Quare si nullus fuit contactus inter manum episcopi et ordinandum, supplendum erit, juxta supra (VI) dicta: quod tamen fieri poterit secreto, sed intra actionem Missae. (S. Inqu. 19 Aug. 1851; Coll. P. F. n. 1199) Quodsi dubium insurgit num contactus physicus fuerit, plerumque dubium istud velut inanis scrupulus contemni poterit. Sic S. Inqu. interrogata a quodam episcopo qui in ultima manuum impositione videbatur sibi ordinandi caput tetigisse, sed de hoc non omnino certus erat, aliunde vero meminerat se involuntario motu manus amovisse, ob scabiem, qua ordinandi caput infectum erat 8 Junii 1898 respondit: "Orator acquiescat." Si tactus physicus quidem fuit, sed mediatus, puta propter pileolum quo tegebatur ordinandi caput, nihil erit iterandum. (S. Inqu. 22 Jan. 1890)

2º Si praetermissa fuit ab episcopo secunda manum impositio, quamvis eas prius super caput singulorum ordinandorum imposuerit et omnes orationes rite protulerit, ordinationem totam secreto iterandum esse respondit S. Poenit. 31 Mart. 1888. Pariter S. Inqu. 6 Jul. 1898 respondit secreto sub condicione repetendam esse ordinationem in qua episcopus orationem *Oremus, fratres carissimi*, etc. recitare cooperat

manibus ante pectus junctis, postea autem, momente uno e clericis assistentibus, manibus disjunctis ante pectus, eamdem orationem absolverat, sed dexteram manum super caput ordinandorum non extenderat. At eadem S. Inqu. 12 Sept. 1877 respondit nihil esse iterandum episcopo qui secundam hanc impositionem facere cooperat, sed intermisserat antequam orationem in Pontificali praescriptam recitaret. (Ball. P. n. 20 seqq.) Atque 30 Nov. 1898 hanc regulam dedit: ordinationem habendam esse tamquam certo validam, si episcopus manum extensam habuerit super ordinandos, saltem immediate ante recitationem: *Oremus etc.*; eamdem sub condicione repetendam esse si nequidem immediate ante recitationem *Oremus etc.* illa manus extensio facta fuerit.

3º Si quando episcopus erravit in pronuntiandis verbis quae tertiam manuum impositionem comitantur, dicendo ex. gr. *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata retinentur eis et quorum retinueris remissa sunt*, secreto supplenda est eadem impositio cum sua forma, seu ab eodem, seu ab alio episcopo. In hunc sensum plures respondit S. Inqu., ex gr. 9 Dec. 1897.

VIII. Dubiis circa traditionem instrumentorum solvendis haec proderunt:

1º Probabilis ad valorem ordinationis non requiritur contactus instrumentorum *physicus*, etiamsi ipsa traditio essentialis dicatur: nam acceptatio aliis signis externis satis significari posse videtur. Sed cum sententia, judicio S. Alph. (n. 743), probabilis tactum physicum ad valorem requirat, practice agendum erit quasi hujusmodi tactus ad valorem necessarius foret. Quare si *rationabile* dubium oritur num quis ordinatus physice instrumenta vel unum ex istis tetigerit, secreto iteranda erit sub condicione tota ordinatio, prout S. C. C. 28 Maii 1796 respondit de eo qui tetigerat tantum patenam calici suppositam, non tamen calicem ipsum. Sed plerumque in praxi hujusmodi dubium erit merus *scrupulus*: quare alias jam respondit S. C. R. (3 Dec. 1661; 21 Jan. 1863, etc.) nihil esse iterandum, sed tuta *conscientia* procedendum. (Ball. P. n. 26)

2º Si quis existimaret se tetigisse quidem calicem et hostiam, minime vero patenam, hoc dubium tamquam merus scrupulus contemnendum foret, tum quia casus vix est possibilis, tum quia tangens hostiam mediate jam tangit patenam. (Ball. P. n. 27)

3º Nullo jure requiriter ut tangatur hostia. Dicit enim Pont. Rom.: "Tradit (episcopus) cuilibet successive calicem cum vino et aqua et patenam superpositam cum hostia, et illam accipiunt inter indices et medios digitos et cuppam calicis et patenam simul tangunt." Quodsi tactus hostiae praescriberetur, dictum esset *hanc*, non *illam*, neque in fine omissa esset mentio *hostiae* tangendae. (Ball. P. n. 28)

4º Sub condicione repetenda foret ordinatio presbyteri, si traditus fuisset calix sine vino vel patena sine hostia. (S. C. C. 11 Febr. 1708; S. Inqu. 11 Jan. 1899) Idem tutius foret si quando tradita essent calix et patena non consecrata, eum S. Alph. (n. 747) censeat practice agendum esse quasi talis ordinatio invalida foret. Speculative sentimus, cum Ball. P. (n. 29), consecrationem instrumentorum ad solam liceitatem pertinere, cum nullo jure statuatur eam requiri ad valorem, vasa autem non consecrata omnino sufficient ad symbolicam representationem, quam Ecclesia in tradendis instrumentis intendit.

CAPUT II.

DE MINISTRO ORDINIS.

430. I. Minister ordinarius validae ordinationis est quilibet episcopus. Hanc veritatem definit Trid. (Sess. 23. can. 7), dum anathemati subjicit eos qui dixerint: "Episcopos... non habere potestatem..... ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem."

Ad conferendum episcopatum regulariter episcopus duobus aliis episcopis stipatus esse debet. Hi tamen *assistantes* ad valorem minime necessarii sunt, ut liquido constat e traditione ecclesiastica et dispensationibus quae saepe concessae sunt ut episcopus solus, vel assistentibus tantum presbyteris, episcopatum conferret.

II. Minister extraordinarius validae ordinationis, quoad ordines minores et subdiaconatum, est presbyter cui haec facultas a S. Sede communicata fuerit. Nam, cum isti ordines probabilis non sint nisi ecclesiasticae institutionis (n. 425), R. P. cuilibet facultatem eos conferendi largiri potest; eam tamen reapse solis presbyteris communicare solet. Eam hodie habitualiter obtinent fere soli Abbates Regulares: hi tonsuram et minores ordines subditis suis Regularibus, nullis autem aliis, ut decrevit Trid. (Sess. 23. de ref. c. 10), conferre possunt. Quodsi eosdem ordines aliis conferrent, probabilis censemus cum Bened. XIV (de Syn. l. 2. c. 11. n. 13) ordinationem illicitam quidem, sed validam esse. Nam valor tandem pendet a mente R. P. facultatem ordinandi his inferioribus Praelatis concedentis. Jamvero, ex communi doctrina AA. et responsis S. C. C. quae videsis ap. Bened. XIV (l. c.), satis appareat, saltem usque ad tempora hujus Pontificis, hanc mentem fuisse ut ordinationes validae manerent. Perperam autem videntur Lucidi (de